

Vir plurimum reuerende, Pater optime!

Tam multa tamque magna sunt TUA, Venerande PATER, in me amoris atque beneuolentiae monimenta, vt, quod non TIBI acceptum ferendum sit, prorsus habeam nihil. Vsque adeo per TE et spiritum traho, et TVO munere literis consecratus traditusque sum, Viro Clarissimo nec non Doctissimo GEORGIO STRETSKO, cuius fideli institutioni me omnia debere, hodierna luce palam profiteor. Vir enim est optimus vt cum Plinio loquar, et inter praecipua seculi ornamenta numerandus: colit studia, studiosos amat, fouet, prouehit, multorumque qui aliquid componunt, portus, sinus, praemium, omniumque exemplum: ipsarum denique litterarum iam senescentium reductor ac reformator. Vtinam pro merito aliquando Viri huius indefessum studium felicitatem meam promouendi compensare possem, vt vel exinde pateret, non in ingratum collocata fuisse beneficia. Excipe itaque iam PATER optime gremio TVO foetum, eumque primum, qui ab ³ primas duxit origines, TIBIQUE cultum ac quidquid in se boni continere videtur, debet. Cerne praesentes, quos TIBI offero riuulos, quique cum ex TUA scaturigine, DEO immortali ita iubente, progressi sint, rursus ad TE prolabantur. Quos si probatos acceptosque TIBI videro, erit sane quam ob rem mihi, non summopere tantum gratuler, verum etiam quodam veluti calcari concitatus, placere TIBI semper studeam. DEVS TIBI concedat annos, viresque adhuc innumeras

— — — a TE nam caetera sumes,
Sint modo virtutis, tempora longa TVAE.
Vale et me impostero paterno vt soles animo complecti,
non dedigneris. Dabam Halae propter Salam d. 14 Sept.
A. R. S. 1771.